

operibus oportere inquirere illud usitatum *QUOMODO.*  
 Illi soli sui operis via & ratio relinquatur. Qui enim sapien-  
 tia & virtute adeò excellit, quomodo nõ operabitur ita mi-  
 raculose, ut operum suorum ratio mētem nostram effugiat?  
 Agnoscendum quidem est insigne Dei beneficium in ar-  
 tium propagatione, & multarū rerum inquisitione: sed vi-  
 cissim etiam fatendum est multo maiora Deum sibi reser-  
 uasse, multa in naturæ maiestate abdita esse, quorū plenam  
 cognitionē, dum hanc vitam viuimus, in hac terrestri scho-  
 la nunquam assequemur. Ex his igitur quæ hæcenus ad-  
 ducta sunt, palam fieri potuit non omnes Cometas, & stellas  
 secundas, quæ hæcenus apparuerunt, naturæ elementaris  
 fuisse: aut, si quæ amplius appariturae sunt, necessario eas ele-  
 mentares futuras esse, sed earum nonnullas æthereas.

Quòd modernum nostrum sidus non sit affi-  
 gendum sublunari mundo & Cometarum  
 regioni, sed ipsi cælo, Astronomicæ  
 probationes. Cap. 5.

**M**IRIFICA Dei bonitas & Philāthro-  
 pia erga humanū genus in eo elucet, quòd  
 mentem hominis tanta luce ac Diuinita-  
 tis suæ particula illustrare sit dignatus, ut  
 ex hoc humili domicilio terrestri cælum  
 ipsum lustrare, siderum motus & positio-  
 nes, & quæ illis accidunt contemplari, ac longè antè quo in-  
 situ sint futura, prævidere possit: non secus ac si ad arcanum

H 2